

4 Affectus gratior desiderii, est vel circa opes, vel circa honores.

5 Desiderium circa opes moderatur *αὐτάρκεια*, quæ est virtus moralis divitiarum appetitum & studium moderans.

SCHOL. Græcam appellationem retinere cogimur propter penuriam Latinæ. Dicitur autem *αὐτάρκεια*, qui sibi sufficit, & sua sorte contentus est. Componitur vox ex *αὐτός* & verbo *ἀρκέω* sufficio, satis sum. *Αὐτάρκεια* igitur significat non tam ipsam sufficientiam rerum necessariorum, quàm habitum, per quem homo sufficere sibi putat quæ habet, unde Cato in distichis ait:

*Commoda natura nullo tibi tempore deerunt,*

*Si contentus eo fueris quod postulat usus.*

De hac virtute præclarè loquitur D. Apostolus 1 Tim. cap. 6. v. 6. 7. 8. *Ἐστὶ περισσοὺς μέγας ἢ δόξεια μετὰ αὐτάρκειας*; Est quæstus magnus pietas cum animo suâ sorte contento. Et insignia sunt verba Aguris in Prov. Salomonis cap. 30. v. 8. Paupertatem aut divitias ne des mihi; ale me cibo demensi mei, ne saturatus ementiar ac dicam, Quis est Jehova; nève pauper factus furer &c. *Præstat supellex sobria, rectèq; parva recula, quàm raptæ per vim divitum fastidiosa copia*, ut canit Buchananus in Psalmo 37. Illustre exemplum *αὐτάρκειας* habemus in Christo, in D. Paulo Apostolo & quamplurimis sanctis, imò etiam non paucis Ethnicis, qui sua sorte contenti præsentia bona tueri & conservare studuerunt, juxta illud Græcorum; *εὐργε παρόντα*; & Horatii: *Dona presentis cape letus hore*. Crates Thebanus Athenas ad Philosophiam discendam profecturus, magnum auri pondus quod secum gestaverat, abjecisse scribitur, existimans, se non posse virtutes & divitias simul possidere. Sed potuisset hoc aurum fructuosius impendi. Videtur ad *αὐτάρκειαν* commodè referri posse Parsimonia, quæ in divitiis justè conservandis versatur.

Exempl.  
π.

6 Autar-